



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Medicina Sectae Methodicae Ve-
teris.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

Medicina Sectae Methodicae Ve-
teris.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS SMITH,
DUNELMENSIS.

Soc. Reg. Med. Soc. et Natur. Stud. Edin.

Praefes Annuus.


Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

Medicina Sectae Methodicae Ve-
teris.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS SMITH,
DUNELMENSIS.

Soc. Reg. Med. Soc. et Natur. Stud. Edin.

Praefes Annuus.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.



F R A T R I Dilectissimo

Charissimoque ab ephelis amico,

Cujus potissimum hortatu consilioque

Arti salutiferae operam navavi —

Primula haec laborum medicorum rudimenta


Sacra voluit

A U C T O R.

Mr. Hope
with Compliments
from his
Humble Servt.
The Author

Non ut honor literarum, et pompa per tot circumfusas imagines celebretur : Nec quia pro flagrantissimo, quo literas prosequimur, amore ; omnia quae ad earum statum quoquo modo pertinent ; usque ad curiositatem inquirere et scire et conservare avemus : Sed praecipue ob causam magis seriam et gravem ; ea est (ut verbo dicamus) quoniam per talem, qualem descripsimus, narrationem, ad virorum doctorum, in doctrinae usu et administratione, prudentiam et solertiam maximam accessionem fieri posse existimamus.

Augment. Scient. L. 2. c. 4.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

Medicina Sectae Methodicae Veteris.

QUUM prima rerum omnium initia tenuia admodum et imperfecta extiterint, tum de medicina imprimis idem pronunciare potest; ipsius enim incunabula insignivit paucarum tantummodo scientia herbarum, quibus fluens compesceretur sanguis, et obducta paulatim vulnera coalescerent. Annis vero labentibus tanta tum ex recenter observatis tum ex feliciter inventis, cepit incrementa, ut caeterarum artium instar uberiore rerum accessione excreverit, et in dissonam opinionum varietatem luxuriaverit.

A

Quem-

2 DE MEDICINA SECTÆ

Quemadmodum etiam unaequaeque disciplina, pro diversa magistrorum indole diversos, ut ita dicam, vultus induerit, ita medicina sectas varias identidem peperit : Et primo quidem duae tantum extitere, alia rationalem artem, alia usum tantum sibi vindicabat. Huic sententia fuit artem sola perfici experientia ; quam et prima medicinae fundamenta substravisse jure affirmaverim, usu vero in dies repertis medicamentis, de ipsorum vi et in corpore effectibus ratiocinari coeptum est ; itaque post inventam medicinam demum quaesita est ratio ; docent etenim illi uno ore omnes artem medicam esse habitum, cum recta ratione effectivum *.

Hinc dogmaticos directa fronte empiricis adversari colligere est ; quamvis confitendum, illos non semper una et eadem sensisse, neque ut adhuc hodierni dogmatici idem sentiunt : Ideoque multos, ut Celsi verbis utar, ex sapientia professoribus medicinae peritos fuisse accepimus. Clarissimos vero ex his Pythagoram et Empedoclem et Democritum, hujus autem, ut quidam crediderunt, discipulus Hippocrates Cous, primus

* Quam definitionem artis in universum Aristoteles 6 Ethic. Nicomach. ponit.

mus quidem ex omnibus memoria dignus, a studio sapientiae disciplinam hanc separavit, vir arte et facundia insignis. Post quem Diocles, Carystius, deinde Praxagoras et Cryfippus, tum Herophilus et Erasistratus, sic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diversas curandi vias processerint; donec Asclepiades medendi rationem magna ex parte mutavit.

Ille Bithynus fuit ex Cio*, quam civitatem posterius Prusiam dixerunt, Philophysicus dictus, Mithridati aequalis †, qui per legatos eum invitavit.

Ille, inquit Plinius ‡, orandi magister, nec satis in ea arte quaestuosus, ut ad alia quam forum sagacis ingenii huc se repente convertit. Totam ille medicinam conjecturam fecit; blandimentis autem suis universum prope genus humanum circumegit in se, non alio modo quam si coelo emissus advenisset, referente ibidem Plinio. Ad ultimum senium Romae vixit ||, morbo nunquam tentatus, summis viris, inter eos

Lucio

* Galen. Introd.

† Galen Compos. Sec. Loc. L. 7.

‡ Nat. Hist. L. 26.

|| Ibid. L. 26. N. 7.

4 DE MEDICINA SECTÆ

Lucio Licinio Crasso, celebri oratore amatus*.

Scripta ejus haud pauca exstabant de elementis †, de sanitate tuenda ‡, de rebus medicis, &c. In loca difficillima Hippocratis etiam commentatus est §. Vir equidem ingenio valens, in physiologicis Epicuri sententiam secutus est ||, et eam sectam quae nostro aevo mechanica nuncupatur.—Res ipsa hortari videtur, quoniam de hac philosophia tempus admonuit, supra repetere, et paucis praecipua tamen de philosophia quam amplexus est Asclepiades differere. Quum ex illius potissimum placitis medicina methodica eruta sit, eandemque, quam et Methodici de rebus physicis opinionem foveat. Si quidem omnia quae in corpore humano obtingunt phaenomena ad causas immateriales ambo referant Asclepiadeam his de rebus sententiam calleat necesse est, qui et methodicam pernoscere enititur. Faciam tamen
breviter

* Cicero de Oratore, L. 1.

† Galen de Elem.

‡ Celsus, L. 1. C. 3.

§ Galen, L. 1. 22.

|| Coel. Acut. L. 1. C. 14.

breviter in tanta rerum copia, summa tantum legens cacumina.

1. *De physica Epicuri, variaque ipsius Leucippo et Democrito ad hunc usque diem fortuna.*

Philosophiam Asclepiades sequebatur illi parum abfimilem quam Leucippus, Democritus, Epicurus docuerunt *. Novum hoc systema physicum primus excogitavit Leucippus †. Ante hunc diem enim, sicut tradit Plutarchus ‡, dogma, non dari vacuum, philosophis a Thalete ad Platonem usque naturam scrutantibus, placuerat.

Dixit enim Thales : Quicquid in mundo est ita a divina anima pervaditur, ut vacuum existere nequeat ; mundanam sic animam pro loco materiae habuerunt §.

Aristotelis dixit ||, vacuum esse corpore destitutum, atque tale in natura vacuum non dari ;

eo

* Coel. Aurel. Acut. Morb. L. 1. C. 14.

† Daert. L. 9. § 30. ; Plutarch. de Plac. Philos. L. 1. C. 18. p. 883.

‡ L. 1. C. 18.

§ Brucker Hist. Crit. Phil. Tom. 1.

|| Phys. Aufc. L. 4. C. 6. p. 285.

6 DE MEDICINA SECTÆ

eo enim dato omnis tolleretur motus ; quia in vacuo neque est superius vel inferius, neque pars ulla ad quam motus tendat.

Necessario *κενόν δογμα*, vacuum dari nullum physicorum ante Aristotelem Zenoni quoque placuit, qui motum locumque negavit, et ad utrumque extensionem requisivit. Aliter vero rem instituit Leucippus *, Zenonis discipulus, et Melissi forsan quoque, qui minime eandem viam quam praeceptor de rebus naturalibus differendi tenuit, utpote qui in secta Eleatica novum hoc systema atomisticum condidit †.

Quam a Phoenicium fonte eorumque philosophi Mochi vel Moschi defluxisse, falso et temere arguere Posidonium contra ‡ Cudworthium contendit § Bruckerus. Antequam Leucippus particulas similes induxerat, non solum Anaxagorus, sed etiam Empedocles, Ecphantus insuper et Hippo, Heraclitus alique minima tanquam *πρωτος οντα* in materia considerarunt. Systema vero atomisticum, quod particulas qualita-

tibus

* Laert. L. 9.

† Pseudo-Origenes Philosophorum, C. 12. p. 88.

‡ System. Intell. C. 1. § 9. p. 14. seq.

§ Hist. Crit. Philos. V. 1. p. 234.

METHODICÆ VETERIS. 7

tibus omnibus praeter figuram et motum privat, quodque vacuum esse subjicit, frustra ante Leucippum quaeras *.

Cum hanc physicem absolutam ulterius perficisset Democritus, Epicurus Anaxagorae atque Archelai, tum in Democriti potissimum et Metrodori Chii forte scripta, referente Hermippo, incidens, ad eorum potissimum philosophiam delatus est; quam mutando, innovando, atque augendo, novam constituit, atque ita Epicuream philosophiam condidit.—Ad brevem nunc hujus philosophiae prospectum in medio proferendum me accingo: Epicuro vero attribuam quid dictum fuerit quopiam ex sectatoribus ejus; “Quae enim quisquis,” inquit Seneca †, “in illo contubernio loquutus est, unius dicta sunt auspiciis.” Nec ea fugienda quae videantur aliquando supplenda atque decerpenda ex Lucretio. Quoniam et Lactantius, “Tametsi verbo sane illaudato ‡.” Epicuri inquit, sunt omnia quae delirat Lucretius, et ipse Lucretius

* Conf. Moshem. C. 2. p. 23. Not. 1.

† Epist. 33.

‡ Vide Doctum Gassendum, qui in “Commentario in librum decimum Laertii,” et quod iis observationibus

8 DE MEDICINA SECTÆ

tius id cum opere toto id satis declarat, tum his speciatim versibus.

———Inque tuis nunc

Fixa pedum pono pressis vestigia signis.

Epicurum itaque disputantem audiamus.

Imprimis, manifestum est, in rerum natura multa fieri et multa quoque interire; opus est igitur materia ex qua res gignantur, et in quam resolvantur; princeps ergo subjiciendum est dogma; ex nihilo nihil fit, nec in nihilum quicquam redigitur. Universum itaque hujusmodi semper fuit quale nunc est, semperque tale erit. Faber sine ligno nihil aedificare potest. Et, si res de nihilo fierent, ex omnibus rebus omne genus nasci posset, nihil egeret femine: Res vero crescunt, nec porro absque cibo natura animalium genus propagare potest, atque vitam tueri. Si contra res ad nihilum redigantur, aetas infinita quae antea facta fuit quae sunt corpori mortali consumisset. Et quando aliud ex alio reficit, natura, non penitus pereunt quaecunque perire videntur.

Nihil

bus innititur, “ Syntagmate philosophiae Epicureae;” universam hanc philosophandi rationem, defendit, illustravit, et ubi est opus, emendavit.

Nihil per se est in rerum natura praeter cor-
 ora et inane : Quod sunt in universo cor-
 ora attestatur sensus ; hoc enim solum tangere
 otest atque tangi, hoc mole est praeditum, ac-
 onis, passionis, resistentiae capax. Est etiam
 ane ; quod enim si non effet locus intactus at-
 ue vacans, nulla ratione res possint moveri ne-
 ue procedere ; et, quoniam nulla res daret prin-
 cipium cedendi, undique stipata quiesset mate-
 es.

Denique materies si rerum nulla fuisset,
 Nec locus ac spatium res in quo quaeque geruntur,
 Nunquam Tyndaridis formae conflatus amore
 Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens,
 Clara accendisset faeva certamina belli,
 Nec tam durateus Trojanis Pergama partu
 Inflammasset equus nocturno Grajugenarum.

Lucretius.

Si omne abesset corpus, inde nihil praeter
 ane constaret ; necesse est ergo ut sint sine
 ani corpora prima : Quamvis quae sunt haec
 rum primordia nulla vis potest stringere.
 um enimvero res compositae partes habent

ex quibus coaluere, et in quas iterum resolvi possunt, quaeque et priores proinde atque simpliciores sunt, et si ipsae adhuc compositae fuerint, constare censentur ex iis quae sunt demum primae simplicissimaeque, hinc ea principia sunt sive elementa ex quibus fiunt concretiones*.

Statuebant omnia resolvi posse ultimo in corpuscula minutissima, atomos vocata, quae quia resolvi amplius non valeant, ideo sunt denique pro prima materia habenda.

Haec materies solido quae corpore constat est aeterna, haec nec frangi neque findi, nec frigus nec ignem capere, unde neque quicquam avelli, nec quid diminui potest.

Longe vero formis distant inter se atomi, et multigenis variati sunt figuris, quorum tanta copia cuius nullus est finis. Pondere etiam atque magnitudine atomi inter se differre possint; et si quae qualitates praeterea cum ipsa figura cognitionem habent necessariam, uti asperitate et laevore. Cum enim tota natura quaeque res genitae sunt dissimiles, ita necesse est dissimili principiorum constare figura. Calor vero, frigus

* Laert. L. 10. §. 40.

gus atque color, caeteraeque hae qualitates non aeternis congeniae sunt, sed concretorum propriae ortaeque ex ipsis atomorum partibus conjunctis, partim ex eventis. Quemadmodum enim tam exiguo literarum numero nos res omnes quas vidimus aut excogitamus significare possumus, situ et ordine eorum tantum mutatis, sic permagni refert circa atomos, quae longe formis distant inter se, cum quibus, et quo positu sint, quibus intervallis et connexibus, quos inter se motus aut dent aut accipiant; quippe cum hoc modo variati omnium sicut rerum ita qualitatum, quae in illis sunt, exhibere varietatem valeant. Sunt etiam figurarum in atomis species numero incomprehensibiles, nempe rotundae, ovatae, lenticulares, planae, gibbae, &c.; haud tamen necesse esse videtur, ut sint hae figurarum species infinitae; cum omnia haec tantaque discrimina tum figurarum tum qualitatum rerum concretarum, quae nobis exhibentur, ex mutatis connexibus, intervallis, motibus, &c. atomorum figurarum multitudine finita praedictorum, orientur.

Ea etiam quae sentire videmus, omnia ex insensilibus constare principiis confitendum. Et non aliam agnoscebat causam Epicurus quam
 materialem,

materialem. Ex verbis vero Plutarchi conji-
cere est Democritum unumquemque atomorum
anima sua praeditum habuisse *. Haec con-
jectura, ut acute Baylius, plerasque quibus impli-
cebantur difficultates solviffet. Vir celebris †
Rabbi Maimonides fufiffime differit de fefta
philofophorum Orientali ‡ qui atomos et va-
cuum effe ftatuebant, inter quos nihilominus
multum ambigibatur, an anima fuit accidens,
in uno aliquo atomorum exiftens, ex quibus
homo, verbi gratia, compositus eft: An ex
multis fubtiliffimis fubftantiis accidens quoddam
habentibus, quo uniantur et conjungantur, fub-
ftantiasque illas cum fubftantiis corporis com-
miferi.

Caeterum

* ‘Ο δὲ Δημόκριτος πάντα μετεχειν φησι ψυχῆς ποίας.
καὶ τὰ ἰσχυρὰ τῶν σωματικῶν, διότι αἰεὶ διαφανὴς τινὸς θερμοῦ
καὶ αἰσθητικῶν μετεχει τὴν πλειστον διαπνεομένην.

Plut. de Plac. Philosoph. L. 4. c. 4. p. 908.

† Vide etiam Verulamium. “ At, inquit, Demo-
critus et Leucippus, cum atomos suos praedicabant,
eoufque a fubtilioribus nonnullis tolerabantur; verum
cum ex eorum fortuito concursu fabricam ipfam rerum
abfque mente coaluiffie affeverent, ab omnibus rifu ex-
cepti funt;” *De Augment. Scient.*

‡ Maimonid. More Nevochim, five Doctoris perplex-
orum, Cap. 73. pag. 148.

Caeterum mundum creatum, atomosque suos aequali mole et figura donatos, et magnitudine expertes, fieri affirmabant *.

Supereſt ut pauca attingamus de motibus atomorum, hiccine motus, (ut iterum Epicurum ſequamur) fuit duplex, unus ipſiuſmet gravitatis ſive ponderis, quo atomus nempe ſuapte nutu fertur, alius ex ic̄tu ſeu reflexione, quo ſcilicet atomus unus in alium impactus repercutitur : Ut vero poſſint inter ſe attingere atomi, motu primo ſuo declinare perpauillum neceſſe eſt †. Ex quo effici poſſit mundus, et omnes partes mundi quaeque in eo ſint.

Haec

* Ibid. Pag. 151.

† In varios vortices, ſive mundos, primam rerum materiam diſtribuerunt Leucippus, Democritus, et Epicurus; unde exiſtimemus meritone in vorticum horum inventionem tantum ſe jaſtet Carteſiana ſchola. Ac de his quidem manifeſta res eſt apud Diogenem, Lucretium, et Heſychium Illuſtrium. Aiebant enim corpuscula ex infinitate ſimul collecta, Διην ἀπεργαζιſθαι, vorticem efficere; et κατὰ τὴν τεμίον ἀντιρροίαν περιδιεſθαι, εἰλεῖσθαι, ſυſτρίφεισθαι, renitente medio circumvolvi, ex hac vertigine particularum ſecefſiones et conjunctiones oriri; ex conjunctionibus enaſci globolum acervum, ſυſτῆμα ſφαιροειδῶς; Petrus Daniel Huetius Cenſur. Philoſ. Cartes, Cap. 8. Pag. m. 213. 214.

Haec praecipua sunt de Epicuri principiis, maximeque generalia effata quae dicerem habui; de quibus quae pauca edifferuimus ejusmodi profecto sunt, quae contemplando facta perspecta praestent, ut deinceps ea, quae ipsis sunt adfinia possint percipi, et valeant simul quae causae sunt effectorum naturae specialium pernosci.

Sed ut reliqua, quae ad hujus philosophiae historiam pertinent, dicamus.

Post Stoicos magna quoque in Imperio Romano auctoritate floruit Secta Epicurea, non minus laetos nata successus, diuque post magistrum durans*; quandoquidem vero pleraeque philosophorum familiae tractu temporis interierunt. Aristotelis autem sola, acquisito a Pontificia religione jure Quiritio diutissime in vigore perseveravit. Hinc factum est, ut a saeculo tertio usque ad decimum quintum, non memoratu dignae, cum in medicina tum in philosophia, mutationes inveniantur.

Cum enimvero labentibus annis secundum Aristotelem de rebus naturalibus parum feliciter

* Bruckeri Hist. Crit. Phil. Tom. 2.

citer se differere posse viri acuti doctique cerne-
rent, tandem ad atomos Democriti pervenerunt.
Ex hujus doctrinae Restauratoribus memorat
doctus Bruckerus Danielem Sennertum ma-
turi seculo decimo septimo inter Germanos,
et Johannem Chrysoptomum Magnenum, Re-
gium Professore Medicum in Universitate Ti-
cinenfi. Gallilaeus, et Torricelli successor ejus,
vacuum esse statuerunt. Gassendus systema vero
Epicureum, jam fere extinctum, in lucem revo-
cavit. Plenum assumpsit Cartesius, quia ut cor-
pora ita et spatium in longum, latum et profun-
dum extendatur. Huic sententiae refragatur
Newtonus, utpote motui, levitati multisque aliis
phaenominis oppositae.

Jam hodiernas hac de re exploremus opinio-
nes, ut a celeberrimo Robison propugnatas.

Ex tactu potissimum *, inquit, materiam esse
impenetrabilem conjecturam capimus, hancque
ipsi proprietatem ideo necesse arbitramur, quod
se invicem ipsius revera tangunt moleculae, cum
nullum inter puncta proxima adjacentia spatium
intercedere concedamus. Cujus autem ratio-
nem

* Robison's Outlines of Mechanical Philosophy.

nem ab alio principio multumque diverso pendere, (facultate nempe quadam repellendi in corpora remota ab eo cui propria fit agente), tum ex variis notissimis naturae speciebus, tum ex multis nuperrime philosophiae inventis, colligere fas est. Luce equidem clarius impenetrabili corpori non constare posse vel compressionem, vel vim resiliendi, vel nunc a frigore, nunc a caetu chemico subito ortas contractiones. Aquae guttam in brassiceum folium, absque contactu, saepe pervolvit Melvillius; corporaque, certis brevissimisque spatiis interpositis, semper repellere radios lucis probavit Neutonus.

Talia nos cogunt fateri, nullum tactum (mathematice loquor) inter corporum atomos, quamvis glomeratos existere posse*.

Hanc porro theoriam quam simul invenisse fama est Michellum et Boscovichium †, haud
inter

* Ibid.

† Suppose the Divine Being, when he created matter, only fixed certain centers of various attractions and repulsions, extending indefinitely in all directions, the whole effect of them to be on each other; these
centers

inter sese conferentes, olim pepigerat Lucretius, grandiloquus ille vates, jucundissimisque decoraverat carminibus:

Est igitur nimirum, id quod ratione sagaci,
 Quaerimus, admistum rebus quod inane vocamus;
 Quod nisi inania sint, qua possint corpora quaeque
 Transire, haud ulla fieri ratione videres.
 Denique, cur alias aliis praestare videmus
 Pondere res rebus, nihilo majore figura?

Transit

centers approaching to or receding from each other, and consequently carrying their peculiar spheres of attraction and repulsion along with them, according to certain definite circumstances; it cannot be denied that these spheres may be diversified infinitely, so as to correspond to all the kinds of bodies that we are acquainted with, or that are possible: Or all effects in which bodies are concerned, and of which we can be sensible by our eyes, touch, &c. may be resolved into attraction and repulsion. A compages of these centers, placed within the sphere of each other's attraction, will constitute a body that we term compact; *Priestley's Disq. on Matter and Spirit.*

18 DE MEDICINA SECTÆ

Transit enim fulmen coeli per septa domorum,
Clamor ut ac voces ; ferrum candescit in igne
Permanat calor argentum, penetratque frigus,
Quando utrumque, manu retinentes pocula rite,
Sensimus infuso lympharum rore superne.
Usque adeo in rebus solidi nihil esse videtur.

Lucret. Lib. 1.

Huic theoriae aliquem forte objicientem, ut corpora ubi non sunt agentia profert, rogare licet, annon cunctas theorias hujusce culpae pariter arguere potest ? Si, aliae vel aethera vel quamvis alterum sibi finxerint fluidum, ne haec idem faceret quid obstet ? Tali autem hypothefi “philosopho prorsus indigna,” nihil absurdius est ; da enim aethera ; quomodo tunc ejusdem particulae quicquid impellere possunt,
ni

* Mr Boscovich supposes matter is not impenetrable, but that it consists of physical points only, endued with powers of attraction and repulsion, taking place at different distances. Vide Theoriam Phil. Natur. p. 167. ; Priestley on Light and Colours.

† Coates praef.

ni illae ipsae ante impulsae fuerint? Ad quod perficiendum alio aethere tenuiore opus est, aethérique creando nullus finis. His insuper fictis, omnibusque ita plenis, nullibi motum oriri posse, singulisque corporibus idem pondus densitatemque inesse sequitur.

2. *De Sectae Methodicae Origine et Progressu.*

His vero positis, ut jam ad Asclepiadem redeamus: Haec principia sua physica multa cum subtilitate ad medicam applicabat artem. Unde in symmetria et competentia exiguorum meatuum, quos poros appellabat, sanitatem, et in ametria atque inconvenientia morbum constituit*. Humores corporis humani particulis fieri aliis crassis aliis tenuibus docebat, crassissimo sanguine, tenuissimo spiritu. Eos humores sanitatis facere integritatem quando per suos poros libere moventur, morbos contra quoties a poris nimis angustis, vel obliquis impediuntur et fit stasis.

Multos ille discipulos habuit, et illius secta eo aevo florebat quo scripsit Soranus. Horum
 princeps

* Cael. Acut. L. 1. c. 14.; Vide etiam Galen. Introd. et Method. Med. L. 4.

princeps fuit Themison Laodiceus, cui Asclepiadis subtiliora ratiocinia penitus visa fuerunt supervacua, satisque esse putabat, quaedam communia morborum intueri. Morbos omnes aut a laxitate, aut a strictura oriri, inde expedita procul omni dubio sequeretur indicatio curatoria, quum laxitas astringentibus solis, strictura e contra nulla alia praeterquam laxantia requireret medicamenta *.

Sub ejus auspiciis orta est methodicorum celebris secta†. Quod nomen iis adeo accrevit, quia methodum quandam medendi et brevem et concinnam, et regulis suis certissimis firmatum prae caeteris quibuscunque sibi arrogarent. Medicinam hic itidem Romae exercuit Caesaris et Augusti aetate, et multa quae male ex Asclepiadis placitis docuisset maturioribus annis reformasse Coelius Aurelianus repetito inculcat. Quare ob immatura illa placita a Methodicis passim refutatur ‡. Non fuit, ut vult Clericus, infelix clinicus. Juvenali dictus cum Celso prior vixerit.

Cassius

* Vide Clericum, P. 2. l. 4. sect. 1. ; Schelch. Cels. praef. ; Plin. Hist. Nat. L. 29.

† Gal. Meth. 1.

‡ Cael. Ac. L. 3. c. 17.

Cassius Felix vulgo dictus Iatrosophista ; in ejus opusculo, scilicet problematibus quae adhuc supersunt, et Asclepiadae sectae vestigia reperiuntur et methodicae *. Celsus alterum Cassium a methodis alienum facit, quod de nostro non verum est.

Methodum cujus primordia apud Asclepiadem adeo exstabant, et quam in senio suo alioquousque Themison ornaverat, Theffalus complevit †; qui, ut verbis Plinii utar, Neronis aetate delevit cuncta majorum placita, et rabie quadam in omnis aevi medicos peroravit.

Eousque arrogantiae processit, ut se ἰατρὸνικὸν appellaverit, et artem sex mensibus se traditurum haud dubitaverit profiteri ‡. Hinc aperta erat janua cuique ex plebe se medicum statim profitendi. Multa tamen scripsit Theffalus, de Regulis, de Diaeta, de Syncreticis, &c. Diatriton et Metasyncrisin firmiter constituit §.

Interim tamen neque post Theffalum, etiam omnes methodici semper idem professi sunt ; id enim nos docet Galenus, ubi ait : “ Post hos, qui

* Circulum Metaryncriticum citat. p. 15.

† Coel. Acut. L. 3. C. 77.

‡ Meth. Med. i.

§ Conf. Gal. Simp. Med. L. 5. &c.

qui secuti sunt omnes, et inter se, et ab ipso Theffalo dissentiunt, nec easdem communitates tradentes, nec omnino inter se vel in uno concordantes." Post Theffalum enim, methodus magnas adhuc mutationes passa est, ut passim eum virum Coelius increpet *, et alia ut methodicus aiat dixisse, alia male : Ita de eorum principiis qui Episynteticos aut qui Eleaticos sese nominarunt, num recte methodicis accenseantur, parum constat.

Res valde deflenda, quod purus temporum ordo, quem in multis veterum medicis satis accurate definitum invenire non possumus, servari nequeat. Ut igitur virorum clarissimorum Halleri, Clerici, et Schulzii vestigia premam, Methodicae sectae scriptores qui ante Galenum vixerunt conjunctos trado. Ex his fuerunt Magnus, quem primum ex nostris † Coelius vocat, Eudemus ‡, Mnaseas §, Coelius eum ante Soranum citat.

Phi.

* Acut. l. 3. c. 17.

† Acut. L. 2. c. 10.

‡ Gal. Meth. Med. L. 1.

§ Ibid. et Coel. Tard. L. 2. c. 7.

Philumeni nomen solum frequens est apud nuperiores Graecos *. Ex libro suo de jucundis potionibus varia apud Ætium conservata extant †.

Lucius ‡ de tardis passionibus scripsit; frigidam ex methodi lege auri dolenti infundebat. Nam his fuerunt Menemachus Aphrodiseus, et Olympiacus Milesius.

Hos inter Soranus maximam gloriam adeptus est, sectam, Caelio auctore restituit vir honoratus, et felix Clinicus, quem saepe cum nominet Galenus §, non is aequus sectae Sorani, usque convitio tamen demittit ||. Multa Sorani consilia conservantur apud Coelium, aliquam partem apud alios et nuperiores scriptores. Scripsit de morbis chronicis quo Coelius usus est; de medicamentis, &c. ¶. Diatrii crudelitatem aequantum mitigavit, ut jejunium altero die finit.

Ephesius

* Haller Bibl. Med. Prac. Rhaz. Contin. L. 4.

† L. 2. § 1. c. 132.

‡ Coel. Tard. L. 1.

§ Haller. ubi supra:

|| Apud Archigenem Gal. Compos. Sec. Loc. L. 3.

¶ Galen. Compos. Sec. Gen. L. 3.; Coel. Celer. L. 2.

Ephesius fuit, et Trajani et Hadriani tempore Romae vixisse dicitur.

Soranum Latine vertisse profitetur Coelius Aurelianus, qui Siccae Venereae in Africae urbe natus dicitur; nullum vero vestigium patriae Africae in toto opere, teste Hallero *, reperias. Non durities ferrei styli satis probare videtur, quod † Reinesius et Hallerus exinde censent, eum quinto saeculo vixisse, quum homo Afer et Graecè et Latinè malè doctus fuisse non nequiverit ‡; Galeni forte aequalis, vel parum ab ea aetate diversus fuisse videtur §. Cum enim non Soranum simpliciter Latinè vertit, sed de suo saepe aliquod addit, si post Galenum scripsisset procul dubio hunc acerbum methodicorum inimicum citasset, cum maxime tamen priores Galeni Medicos abunde citet et refutet. Nonnullos etiam Virgilii versiculos addit. Dicit etiam Clericus, Tertullianum Sorani fere aequalem atque Africanum, eodem scribendi genere uti quo et Coelius.

Illius

* Bibliothec. Med. Praet.

† Var. Lect. l. 3. c. 10.

‡ Werlhoff de Med. Sect. Meth.

§ Vide Conring. de script. Sec. 2. c. 4.; Cler. l. c. 5.; Fabricius Bibl. Lat. L. 4. c. 12.; et etiam Baglivium.

Illius praecipue scripta aliquae, libri nempe de Morbis celeribus et tardis ad Bellicum discipulum sermone Latino perscripti supersunt *. Non ideo minoris hoc opus facias, quod ex tota antiquitate vi practica eminet, et morborum atque auxiliorum descriptione †, ipso teste Hallero, ut non immerito a nupero medico ‡ Cl. Grainger Graecis omnibus et ipsi Actaeo praeferatur. Morbos chronicos potissimum habet vix aliis veterum dictos, ut fatyriasin, incubum, phthiriasin. Per singulos fere morbos veterum consilia expendit. Sunt etiam apud illum nonnullae adnotationes chirurgicae.

Ex nuperioribus Methodicis fuerunt Galeni tempore Attalus Sorani discipulus, Proclus, Memachus, multique alii ignoti famae, quorum e primariis fuit Julianus, Galeno § coevus, qui Alexandriae docuit, qui idem libros || quadraginta

D

ginta

* Reinesius multum in Coelio emendando laboraverat, cujus dictio barbara, et codex valde corruptus, Bartholini promissa editio intercidit. *Haller.*

† *Bibl. Med. Pract.*

‡ *Febr. Batav.*

§ *Gal. Meth. L. 1.*

|| *Galen. contra ea quae a Jul. in Hippoc. Aphor. dicta sunt.*

ginta octo contra Hippocratis aphorismos scripsit: Ut methodicus, negabat attractionem peculiarium humorum.

Sextus Empiricus aliquanto Galeno nuperior et coævus Commodus.

Methodicus fuit secundum auctorem introductionis; cujus sunt Pyrrhoniarum hypotyposion, L. 3.

Moschion junior Sorano fuit, quem citat*, Ejus περί γυναικων παθων Graecus superest liber. Sequitur procul dubio methodicos, metafyncriticam, et analepticam curationem habet, et Diatriton observat.

Merito a Prospero Alpino colligitur sectam methodicam ante M. Antonii et Cleopatrae aetatem incepisse, atque post Antonini Pii atque Severi tempora extitisse, quo tempore eam Galenus Romae invenit, ex quibus quidem annos circiter tercentos medicinam methodicam, inter odia et contradictiones reliquorum medicorum, Romae et Alexandriae maxime claruisse liquido constat.

Extincta vero est et haec secta simul ac Galeni doctrina orbi coepit innotescere. Eoque

non

* P. 150.

non etiam forte reperias qui post Galenum ex illa secta singulare aliquod nomen invenerit. Sunt enimvero duo scriptores saeculi, uti creduntur, quarti a nato Christi exeuntis, fatis insignes memoratu; quorum alter Vindicianus fuit Valentiniani Archiater, cujus extat epistola de medicina ad Valentinianum. Alter vero Theodorus Priscianus Archiater, Vindiciani discipulus, empirico vero certe idem propior, ut Hallero videtur. Non enim valde, inquit, hic sectam methodicam, nisi velis ex malagmatibus et externis auxiliis aliquid simile arguere*. Profertant ejus libri quatuor †, nempe *εὐποριστῶν*, de morbis acutis, et chronicis, de mulierum morbis, et de physica scientia ‡.

Quum tandem hujus sectae oblitterata esset memoria, unus inter recentiores Prosper Alpinus, Professor Patavinus, in arte medica innovare studens, methodicorum medendi rationem renovavit, et quadamtenus in antiquam amplitudinem atque usum revocare cogitavit, et honori pristino restituere studuit. Causas vero
et

* Haller. Bib. Med. Pr. Vol. i. p. 293.

† Apud Aldum.

‡ Cleric. c. 13.; Fabricius, Bib. Lat. l. 4. c. 22.

et curationes omnium morborum, proprio magis ingenio, ex ipsis methodi legibus, quam studio et inquisitione ex methodicorum scriptis, eruit atque proponit. Lusit enimvero operam, nec invenit temere qui applauderent.

3. *De Sectae Methodicae placitis medicis.*

Posteaquam medici, qui variis temporibus methodicam sectam magna cum laude tenuerunt, a nobis haecenus fuere expressi, restat ut qualia quoque principia sive dogmata habuerint intelligamus: Quae vero est quae suas cruces non habet disciplina. Hanc provinciam nobis haud parum fore difficilem intelligimus, quum methodicorum apud nos non extant monumenta: Coeli libri de istius sectae dogmatis conscripti interierunt, et desiderantur sex commentaria quae de hac secta Galenus scripserat. Quum vero, uti res se habent, hujus sectae placita potissimum ex libris morborum acutorum atque chronicorum Coelii Aureliani, quae nobis supersunt, colliguntur, et Soranus pro sectae principe habeatur, atque ex libris Galeni; his fretus auxiliis, strictim et concise dicam, sine diversorum
magistro-

magistrorum curiosa diversitatum divinatione proponenda, ne taedio sit prolixitas.

Methodum, inquiunt, notitiam eorum esse quae communia evidentia sunt, eaque medicinae fini consentanea atque consequentia; quidam autem ut Theffalus, sic ut eadem proxima ac necessaria sint ad sanitatem, adjunxerint. Omnes scilicet affectus reducebantur ad meatuum vel clausum vel fluxum, quod nimirum (uti etiam sentiit Asclepiades) in optimo eorum statu sanitas consistat, atque in vitiato morbus. Morbos igitur ad hos duos generales reducunt, ad adstrictum et fluentem, quas vocant communitates; praeter hos et tertium morborum genus esse statuerunt, quod mixtum vocarunt, ex ambobus modo memoratis simplicibus compositum.

Stricturam adgnoscebant ex retentis excretionibus, ex inflammatione, dolore, et tumore; morbos a fluxu natos ex aliqua aucta excretionem, et ex corporis tabescentia. Primo ergo asferebant strictam affectionem laxandi necessitatem indicare, fluentem supprimendi; si vero mixtum fuerit vitium, occurrendum subinde vehementiori malo.

Praeterea

Praeterea negabant quicquam utilitatis facere ad indicandam curationem, locum in corpore laesum, naturam corporis, aetatem, vitae studium, consuetudinem, tempus anni, coelum, atque regionem. Virium vero et propensionis ad certos morbos habebant rationem, sexus quoque et aetatis diversitas non potuit ab ipsis omnino negligi. Unde de mulierum morbis praecipue varii scripsere methodici *. Animi quoque et corporis morbos ab invicem separarunt methodici †. Praeter jam memoratas communitates, alias quoque methodici habuerunt. “ Non solum autem duas communitates, sed plures etiam statuunt, aliasque in victus ratione, alias in manuum affectione, collocant. In victus quidem ratione adstrictum et fluens, adjunctamque magnitudinem, morbi tempora quatuor, initium, incrementum, summum impetum et decrementum, celeritatem, longitudinem, accessionem. In manuum vero affectione, quod a natura alienum est, ponebant loco, tempore, et pluribus

* Vide Coel. l. 2. c. 1.; Theod. Prisc. l. 3. Moichion de muliebr. adfect.

† Vide Galen. adversus Julian. C. 3.; et Coel. de Phrenitide, &c.

pluribus aliis. Attamen * praeter materiam medicam anatomicam quoque ac physiologiam partium humani corporis, pro istius aevi ratione, discere non neglexerunt methodici; ut cognitio partium situ, connexione, ac functione, signa cognoscerent, atque adjuvantia morbis praecipue localibus adhiberent †.

Causarum differentias statuebant, quarum aliquas affirmabant esse evidentes, uti frigus, aestum, laborem, &c. Aliquas autem continentes, quae postquam morbum excitarent permanebant.

Dicebant autem non secundum differentias causarum differentem curationem esse adhibendam ‡.

Quod attinet ad affectus ab alterutra communitate ortos: Coelius Aurelianus sentiebat lethargiae, peripneumoniae, cynanchis, spasmi, hydrophobiae, epilepsiae, insaniaeque, causas esse stricturam; phrenisim aliam ex solutione, aliam ex complexione stricturae atque solutionis, esse. Melancholiam esse communiter stricturae passionem

* Gal. in lib. de Opt. Sect. cap. 30.

† Vide Mosch. C. 1. 23.; Theod. Prisc. 1. 4. Coel. Aur.

‡ Coel. Acut. L. 2. C. 13.; Barkhusen Dissert. Med. p. 153.

onem magnam ; aliquando etiam complexam, ob plurimas egestiones : Ejusdem naturae existimat esse catarrhum vel rheumatismum.

Inflammationes subinde ab astrictione ortas, interdum vitium mixtum esse. Ex mulierum morbis * strictura fieri menstrua retenta, matricis fervorem, tensionem, inflammationem, tumorem, duritiem, et suffocationem ; fluxura autem, mensium, lochiorumque fluxum nimium, gonorrhoeam, &c. Haec et similia morborum genera modo acuta esse, modo longa ; et modo increfcere modo minui. Praeter haec aliter acutis morbis medendum, aliter increfcantibus, aliter jam ad sanitatem inclinantibus. Ideoque ab re esse autumarunt, si quis in occultis rebus et suspicionibus incertis occupatus fuerit †.

Quod ad medendi methodum, tam in diaeta quam in remediis quid laxaret quidve stringeret experientia duce percontabantur. Morbos vero dicebant melius simplicibus et consuetis rebus mederi ; mitia remedia acribus praeferebant. Aëre multum in curatione utebantur, ad laxandum calido, frigido ad astringendum ;

* Moschion. cap. 124.

† Coel. Acut. L. 3. cap. 21.

dum; flabellis enim et aquae frigidae aspersione aëris conciliabant refrigerium: In decubitu etiam, lecto, victus ratione multum versabantur. Solenne ad haec habebant aegrotantibus tridui inediam, quam diatriton vocabant, injungere: Duobus tribusve his diebus cibo, potu, ipsis medicamentis solebant abstinere*, nisi summa refectioem postularet debilitas; praevalente vero astrictione, scrupulosius semper fuit observata: Quam institutam esse videtur propter indigestionis metum, et morbi vim accessionis. Morborum complurium initio astringentibus utendum esse decernebant, non ut causae reprimantur, sed ut corpora firmiora, minusque passionibus obnoxia, reddantur †. In initio, verbi gratia, inflammationum fere frigida imponebant, a Galeno saepe ob id consilium reprehensi, morbi progressu calida. Vomitum frequentius movebant, ob manifestas cruditates, nauseam, &c. per aquam tepidam et digitum in fauces immisum ‡. Sic gestationes, frictiones, unguenta, perfusiones, vapores, itinera, navigationem ab

E

Aesclepiade

* Cacl. loc. quamplur.

† Barchusen Dissert. Med.

‡ Coel. l. 3. c. 21. &c.

Asclepiade atque moribus Romanis receperant. In astrictis venaesectionem, lectum molliorem loco calido suppositum adhibebant; cataplasmatibus emollientibus et perfusionibus corpus laxaturos sperabant. Postea cucurbitas scarificatas, hirudines aut scarificationes simplices variis vario remissionis tempore adhibebant partibus.

Ad vires restituendas vino, balneis, lecto penfili, &c. utebantur.

Laxa stringebant frigore, quiete et somno indulgente, plantis refrigerantibus, astringentibus, et cibis et medicamentis fomentisque, sudores reprimebant pulveribus cuti aspersis. Cucurbitas etiam cum multa flamma variis infigebant partibus, sed sine scarificatione, maxime vero ventri si cibi vomitu rejicerentur.

Hinc morborum compositorum facile constat inter omnes curatio, nempe partibus altero malo maxime affectis remedia huic malo accommodata adhibebant, et remediis universalibus vehementiori occurrebant malo.

Praeter haec, si quando morbus sanari contumax extiterit, quod praesertim in morbis chronicis, auxilio metasyntericam curationem invocabant, quam et μεταποροποιησιν, i. e. exiguorum meatuum status, mutationem vocabant. Est au-

tem

tem cycli resumptivi hoc modo ordinatio formanda *. Prima die aeger a cibo abstinendus, altera levi motu erit exercendus atque oleo perungendus, cibus dein levis; ita paulatim alimentis addebat methodicus carmen ferinam simul atque vini portionem augebat, in porcina demum definebat. Perfecto hoc cyclo resumptivo erit metasyncriticus: Primo die cibo abstinendus, altero parcus cibus, tunc acrium usus, pulmentum falsum, assum vel tostum, cap-pares sinapi madidatae, vina acria, falsi cibi, ita pariter cibum methodicus auget, et per aves ad quadrupeda ascendit, dropacem etiam et insolationem, et alios externe medicandi modos subiungit. Tum demum drimyphagia: Quae a vomitu incipit raphano nato, vel scilla et tepida; et aquarum mineralium balneis, mutatione aëris, navigatione, &c. si neque his morbus cederet, remediis solitis rem denique conficere conabantur. Quam maxime fugiebant methodici acria medicamenta, ut clysteres acres, cauteria, epithemata acria, narcotica; vinum non nisi ob magnam virium debilitatem ante morbi declinationem concedebant aegris. Purgantibus negabant

* Vide Cael. Aurel. de Cephalaea.

bant peculiarem esse virtutem, pravum corporis humorem abundantem educendi, parciores in univcrsum in venaesectione *, ut tamen novissimi methodicorum eo auxilio liberius usi sunt.

Methodicae vero sectae medici passim, et a Thessalo dissenserunt, et alii ab aliis †. Erant enim jam eo aevo, qui in hepatis vitiis, ex dextro brachio sanguinem mittebant, ex sinistro si malum esset in liene ‡.

4. *De trium Sectarum Rationalis nempe, Empiricae, et Methodicae opinionibus mutuo inter se collatis.*

Talem nobis reputantibus praxin, quaedam efferenda laudibus, multa vituperanda occurrunt : Diaeteticae enim simpliciumque remedium cultus notabilis, simul cum laudibus imitationem nostrae aetatis medicorum sibi vindicare videtur ; nec affirmare dubitamus, insignem illam rationem medendi, metasyncriffin nempe, methodum

* Galen.

† Galen. Method. L. 1 p. 86.

‡ Cael. Tard. L. 3. c. 4.

methodum feliciter excogitatam, et nisum esse strenuum atque appositum ad morbos pertinaces chronicos vincendos. Atque hic cum aliquibus hodiernis physiologicis apprimè consentire videntur, qui morbos docent ab mutatione actionis et fortasse structurae multarum corporis partium pendere, et statum naturalem salutemque remediis solis experientia repertis reddendum.

Verumenimvero, si una cum Epicuro sentiebant methodici, vitam ab materie situ atque ordine atomorum inter se oriri, quoniam vero qualis fuerit eorum ordo atque situs ignorabant, concedisse oportuit, in omnibus fere morbis adesse mutationem haud etiam conjectura sibi assequendam, de qua sese scepticos professos esse debuerunt, et empyrice medicinam exercuisse. Talia placita (quae Asclepiadis fuerunt) nec ad praxin fatalem allicere possunt, neque e contra arti medicae multum prodesse: “ Neque enim permittendum est, ut intellectus a particularibus ad axiomata remota, et quasi generalissima (qualia sunt principia, quae vocant, artium et rerum) saliat et volet; et ad eorum immotam veritatem axiomata media probet et expediat; quod adhuc factum est, prono ad hoc impetu naturali

naturali intellectus, atque etiam ad hoc ipsum per demonstrationes, quae fiunt per syllogismum, jampridem edocto et affuefacto *.”

Apud methodicos autem haec pollebat opinio, duas tantum in corpore mutationes sese proferre, et omnibus morbis pro causa vel auctam vel diminutam densitatem, symptomatibus detegendam, exstare.

Quam a physicis sententiam, haud parum multorum Epicureorum, praecipue Asclepiadis dissonam, transtulisse videntur. “ Haec vero praematura atque proterva reductio doctrinarum in artes et methodos plerumque aut parum aut nihil scientiae proficit.” Praeterea, ab Epicuri philosophia certe minime sequitur, omnia tam varia quae visa sunt corpora, non nisi densitate et tenuitate discrepare: Neque in morbis sanandis augendo vel imminuendo hanc diversitatem corporis (quasi inanimati) aliquam spem habere oportet. His igitur medicis culpam tam saepe increpitam res animatas physice tractandi aequè objicere possumus.

Medicina enim ad eam philosophiam quae unoquoque saeculo maxime invaluit pertinuisse videtur.

* Nov. Org. L. 1. § 104.

videtur. Physicis nempe florentibus mathematico imperio subiecta est, secta methodica vigente; Galeno Aristotelis leges accepit; mox rationes passa est chemicas; Stahlus dein animae actiones corporis omnes subjiciendo, ad placita metaphysica revocavit; auctore autem Cartesio, ipsiusque aëtheris actiones eadem mechanicas leges subire; et novissime tantum ab omnibus aliis studiis medicina secreta, de iis disputatum est quae ad vim vitalem reapse pertinent.

Neque minus graviter hallucinati sunt, cum morbos ad classes ex symptomatum aspectu relegerint, et classi unicuique eadem medicamenta adhibuerint; quam vero fallacia dolosaque sint haec signa, experientia nuperior luculenter comprobavit. Et quidem ex variis longeque diversis noxis excitantibus similia symptomata quotidie exsurgunt, quae contraria prorsus curatione sublevantur; atque hoc, cum in plurimis aliis, tum imprimis videre est in catarrho, cuius omnia omnino symptomata a pertussis contagio excusitantur, quod haud temere illustris Cullenus observavit; accedit adhuc, quod ab exercitissimo Huxham calide annotatur, detracto scilicet in peripneumonia sanguine, pulsus ex obscuro debili que derepente plenior evadere, quamvis

quamvis res plerumque aliter se habeat, quod etiam in gastritide obtinet, teste Culleno. Quinetiam in ipsis morbis, qui a methodicis ad classes plane oppositas referuntur, una eademque remedia feliciter admodum cesserunt.

A duabus aliis secta methodica multum revera discrepuit. Empirici etenim omnem profus ratiocinationem repudiarunt, suasque mendendi vias ab iis tantum traxere, quae eadem antea symptomata levasse ex suapte experientia comperiebant; rati scilicet ex istiusmodi signis naturam morbi nequaquam innotescere; atque hoc ad experimentum iter iniere; novis nempe malis congruo de re simili ad similem transitu, quem *μεταβάσις* vocarunt.

Contra vero methodici ex hac symptomatum facie latentem corporis statum introspecti putabant; iisque secundum leges quasdam ordinatas ita adhaerebant, ut in suis curationibus ad ea solummodo respicere viderentur. Signis enim contenti ex quibus laxitatem agnoscerent aut stricturam, causas alias, ipsam demum morbi sedem, non quaerebant definire; siquidem ex classica lege curatio eadem recurrebat, quaecunque causa subisset, et quaecunque sedes esse mali.

Ob

Ob hanc socordiam haec secta saepissime a * Gálēno objurgatur. Ut enimvero breviter uniuscujusque sectae characterem proferam, empiricis hoc peculiare fuit, quod arbitrarentur, cuncta in medicina utilia in observando deprehendi: Methodici ex adverso censebant indicationi illa peculiariter tribui debere. Dogmatici vero statuebant aliqua observationis, aliqua indicationis adminiculo, inventa; indicationem autem ex causis potissimum abditis erui posse.

Inter has autem sectas methodicam prae caeteris respuendam arbitramur; quippe quae iis omnibus scatebat erroribus, quibus usque inficiantur animi praeprejudicatis opinionibus falsisque theoriis imbuti; quarum adeo tenax extitit haec secta, ut experientiae penitus incuriosa solis symptomatibus morem gereret: Gravissimis igitur carere non potuit periculis ea medicina quae tali mente instituebatur. Quaeque summum perfectionis apicem in ea scientia affectabat, quae adhuc, ut ita dicam, in cunis vagiebat.

Medici autem rationales dicti quicquid utilitatis atque commodi experientia foeneratur sibi

F

ven-

* Theriac ad Pisonem. c. 16.

vendicabant, eamque uberiore quam ipsi Empirici fructu usurpabant. In rebus etenim tum anatomicis tum physiologicis profequendis, ipsorum ingenia non parum theoria exercuit, effecitque ut in factis observandis perscrutandisque severiorem adhiberent sedulitatem; si enimvero exinde ipsorum opinionibus vis major accederet, pro virili desudabant, ut singula in propatulo ita exponerent, ut omnis ipsorum adversariis obijciendi praecluderetur locus. Sin autem experimenta haec quam propugnabant sententiae refragarentur, ea accuratius curiosiusque excutiebant.

Neque parum de medicina merita est theoria, ex eo quod non solum ad experimenta rite instituenda aemulos concitaverit medicorum labores, verum etiam praestitit ut ad ordinem quemdam sparsa passim facta redigerentur: Haec autem omnia irrita prorsus cederent, si adducerentur homines, ut ita res simularent atque contorquerent, ut dilectae cuidam hypothesei adspirarent; quinetiam dubitandum venit, annon empiricorum *mirabilis* multo apertius quam haec theoria ad experimentum iter munit; quorum omnium tutissimum commonstravit Verulamius, dum de deviiis his erroribus prudenter admonuit:

nuit: " Sed de scientiis tum demum bene sperandum est, quando per scalam veram, et per gradus continuos, et non intermissos, aut hiulcos, a particularibus ascendetur ad axiomata minora, et deinde ad media, alia aliis superiora, et postremo demum ad generalissima. Etenim axiomata infima non multum ab experientia nuda discrepant. Suprema vero illa et generalissima (quae habentur) notionalia sunt et abstracta, et nihil habent solidi. At media sunt axiomata illa vera, et solida, et viva, in quibus humanae res et fortunae sitae sunt; et supra haec quoque tandem ipsa illa generalissima; talia scilicet, quae non abstracta sint, sed per haec media vere limitantur *."

Cum ex illis quae in caeteris scientiis foven-
tur theoriis, nil certum liceat de futuro hario-
lari, tum in primis de medicina, utpote de arte
prorsus conjecturali, jurè merito pronunciaveris.
Neque eo hodie perfectionis disciplina haec per-
venta est, quin fateamur lubricum nimis insta-
bileque fundamentum nostris subjacere theoriis,
illique praesertim quae de causis morborum
proximis jaectatur. Nihil enim certe, ut jam
supra

* Novum Organum, L. 1. § 104.

supra ostendimus, ex symptomatum intuitu de arcana corporum conditione colligi potest; cum contraria omnino curatione eadem quandoque symptomata subleventur, quinetiam eadem noxae excitantes varios pro varia ipsorum agendi vi, varioque corporum quae adficiunt habitu effectus sortientur. Namque aegre admodum de corporis statu quidpiam certe statuendum, etiam si medici singula discrete annotaverint symptomata, quae a noxis quibusdam excitantibus profluxerint, atque ea adhibita fuerint remedia, quorum efficaciam experientiae diuturnitas comprobavit.

F I N I S.